



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Juptiter æquus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

præditum eundem & Quadricipitem legas apud Aristophanem, ubi de Lamachō loquitur, *Ἰαμῶν καὶ Τριπέδιον τετραπίλον.*

SOL. CAP. XXVII.

*ad Serapim
ex Macrob.
in Sat. lib.
1. cap. 20.*

TRiceps quoque Serapidis imago in numismatis quid sibi velit, in brutorum commentariis sparsim attigimus: sed id nunc locupletius explicandum est. Tricipitium est ex tribus animalibus, quorum in medio est Leonis caput, vastum admodum, dextera parte Canis applaudibundi blanditientisque, læva Lupi, superne calathus insidet: quæ species uniuersa, Anguis ambitu complexa est. Qui Solem hinc interpretantur, ex capite Leonis tempus præsens indicari volunt: quod ejus conditio inter præteritum futurumque actu præsentis valida fervensque sit. Præteritum ex Lupi capite conjiciunt, quod animal est admodum obliuiosum, obliuio autem de præterito est. Futurum ex adblandientis Canis effigie, quod est indicium spei, quæ nobis semper adblanditur: spes vero semper de futuro est. Competit vero Soli temporis consideratio. Quid vero sibi velit Serpens, ut Deus sit, ut temporis author, alio commentario satis explicatum est: alibi quoque ostendimus hujusmodi tricipitium prudentiæ convenire. Calathum vero loco hoc ajunt altitudinem sideris commoustrare, vimque refertissimam ac opulentissimam: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.



JUPITER ÆQUUS. CAP. XXVIII.

Quamvis qui Serapim Jovem esse dicunt, modium ejus capiti superpositum ea de causa figurant autumant, quod omnia sint æquis distributionibus ab ipso rerum omnium arbitrio moderata.

Virg. Æn. lib. 10. Nam, ut optime Maro, *Rex Jupiter esse omnibus idem.*

DIANA. CAP. XXIX.

ET Diana simulachrum tribus insigne capitibus celebratur, quorum unum Equinum, Caninum alterum, tertium Humanum, sed facie admodum rusticana. Unde Maro:

Æn. lib. 4.
*Vel, ut alii
maluerunt
apri, aut
suis agrestis
ex Orpheo
in Argon.*

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Diana,
dixit. Apud Æginetas tamen una tantum facie & unico corpore fingi Hecaten, talemque apud eos, statuum se observasse Pausanias tradit, Alcamenemque primum tria illa simulachra invicem connexa excogitasse. Quid vero sibi velit Equus, Canis & rusticana illa facies in eo simulachro, alibi docuimus.



QUADRIFRONS.
QUATUOR ANNI QUALITATES.
CAP. XXX.

CUR vero Janus quadrifrons plerisque locis informari solitus sit, ea fuit causa, quod illi rerum omnium principia finesque, introitus exitusque dedicati essent: quin & quæ illi templa erigebantur, quadrata specie fiebant. Et mercatorum stationes trapezitarumque mensæ, in ejusmodi Jani habebantur, de quibus apud Horatium:

Epistola 1.

— Hæc Janus summus ab imo Perdocet.
Ad id etiam spectabat ea effigies, ut quatuor anni qualitates indicaret, quas Græci Latiniq; Hecaten